

IVRISPRVDENTIAE
PAPINIANEAE
SCIENTIA,

AD ORDINEM INSTITVTIO-
NUM IMPERIALIVM
FERMATARVM

*In qua vniuersum ius ciuile noua methodo ad propria & indubita-
ta sua Principia refertur, & ex iis clarissimè ac
certissimè demonstratur.*

OPVS

ANTONII FABRI I. C. SEBASTIANI SERENISS. SABAVDIÆ

Curia Senatoris, & in Gebennensis Ducatus audi-
torio Praefidis.

*Ad illustriss. & Excellentiss. Principem Henricum à Sa-
baudia Gebennensium & Nemorosij Ducem.*



*Henricus
Sabaudus*

*Ex aed. Collegio
de Huertanos.*

BUDDON
Apud hæredes Iacobi Chouët

M. D. C. VII.





ILLVSTRISS. ET
EXCELLENTISS.

PRINCIPI HENRICO A SA-
BAVDIA GEBENNENSIVM

& Nemorosij Duci &c. Antonius Faber

S. & F. P.



Itam verum esset, quàm eleganter olim dictum illud est, Princeps illustrissime, Eousque grata esse latæque beneficia dum videntur exsolui posse, Infeliciter vtique mecum ageretur, qui tot tantisque iampridem abs te ornatus & cumulatus beneficiis

non solùm reddendæ gratiæ nunc impar essem, Sed etiam voluptate posthac illa carendum haberem, quam ex liberalitatis, & munificentiæ tuæ memoria contractam, sicuti sentire semper dulcissimum fuerit, ita etiam perhonorificum retinere. Nam vt quod primum est in quaque re, idem fermè censetur esse maximum, Quantum obsecro illud fuit, quod decimo propè iam ab hinc anno sedenti mihi inter Senatores nostros, nihilque tale suspicanti nedum ambienti, præcipua ista dignitas per te vltro, nisi quod subditorum tuorum vniuersis gradibus id enixè flagitantibus, delata est, quæ vix alios ante me possessores vllos habuerat, quàm qui vel ex supremarum



TIT. I.
DE IUSTITIA ET IVRE.

PRINCIPIVM I.

Etymologia iuris.



Ius à iustitia est appellatum l. 1. in princ. D. hoc tit. Ius, inquam, cui operam dant qui iurisprudentiam profitentur, & à quo ipsa etiã iurisprudentia appellatur, quòdque Vlp. noster diffinit esse artem boni & equi. Alioquin si ius intelligas id ipsam quod bonum & equum est, aut vt generalius loquar, legibus consentaneum, non ius à iustitia est appellatum, sed iustitia potius à iure, si vera est iustitiæ diffinitio à Justin. tradita initio huius tituli, in illis verbis *ius suum cuique tribuendi*. In summa, potest ius considerari dupliciter, In abstracto, vt ita dicam, quatenus causa est iustitiæ, In concreto quatenus est effectus iustitiæ, siue accipiatur pro ea ipsa re quæ iusta est, siue pro arte & scientia quæ doceat facere iusta. Concreta autem denominatione sumunt ab abstractis, non abstracta à concretis. l. 1. §. 1. D. de pact. vbi non dissimiliter idem Vlp. pactum à pactione dictum scribit.

L. 1. D. de iust. tit. Et ius

Interdum ius etiam accipitur pro eo loco in quo ius redditur l. penult. ad fin. D. hoc tit. Quòd pertinent Tituli *De in ius vocando*, Si quis in ius vocat. non ser. In ius vocat. vt eant, Ne quis eum, qui in ius vocab. vi eximat. l. 4. §. vlt. & tot. tit. *De interrog. in iur. faciend.* Nonnunquam ius etiam dicimus pro necessitudine, vt *ius cognationis vel adfinitatis* l. vlt. D. hoc tit. Est igitur iuris nomen æquiuocum. Sed in hoc principio primo accipitur in concreto pro effectu iustitiæ, & tam pro re ipsa quæ iusta est, quàm pro arte ipsa boni & equi. Debuerat tamen à Iustiniano itémque ab Vlp. distingui prius quàm diffiniri, vt cætera æquiuoca omnia ex regula philosophorum.

L. pen. eod.

L. vlt. eod.

ILLATIO I.

De præceptis iuris.

EX hoc principio illud primùm fit quod Vlp. scribit in *l. iustitia* 10. D. hoc tit. iuris præcepta hæc esse, Honestè viuere, Alterum non lædere, Ius suū cuique tribuere. Tria enim hæc sunt circa quæ omnis iustitia tam civilis & politica, quàm moralis versatur, vt pluribus tractat Aristot. lib. 5. Ethic. Indéque petenda est ratio tit. *D. quod quisque iur. in alium stat.* l. cum hereditas 59. *De admin. tutor.* Itémque ratio eius quod dici solet, Ea quæ facta lædunt pietatem, existimationem & verecundiam nostram, & vt generaliter dicam

L. iustitia 10. eod. Tit. quod quisque iur.